



## Motus terrae Italiam concussit

Postridie Nonas Apriles (6.4.), quarta noctis vigilia, regio Aprutiensis Mediae Italiae motu terrae violenter concussa est.

Epicentrum motus, cuius vis erat circiter sex gradus in scala Richteriana, ab urbe Aquila decem fere chiliometra distabat. Tot aedificia damna ceperunt aut corruerunt, ut viginti septem milia hominum domos relinquere cogentur. Mortui ducenti undeoctoginta esse dicuntur, vulnerati plus mille. Sors multorum est adhuc incerta. Concussio etiam in Campania et Latio sentiebatur, etsi nihil gravius in eis provinciis accidisse nuntiatur. Romae quidem Thermae Caracallae sive Antoninianae leviora damna ceperunt.

## Albania et Croatia membra Natonis

Confoederatio ex pacto Atlantico septentrionali duo nova membra accepit.

Kalendis Aprilibus, quo die anniversarium sexagesimum Natonis celebrabatur, Albania et Croatia membra eius officialiter facta sunt. Caerimoniae in summo conventu confoederationis in urbibus Argentorati (Strasbourg) Franciae atque Aureliae Aquensi (Baden-Baden) et Kehl Germaniae fiebant. Albani et Croatae in Afganistana copias habent, ubi maxima operatio militaris Natonis his temporibus fit. Illis in confoederationem acceptis etiam Georgii et Ukraini sperant fore, ut Nato, quod de ipsis in confoederationem accipiendis olim sponderit, aliquando efficiat.

## Corea Septentrionalis missile probavit

Coreani septentrionales satellitem in orbitam mittere conati sunt, sed missile eorum, postquam mille trecenta chiliometra volavit, in Oceanum Pacificum decidit.

Experti Americani et Russi censent satellitem ex rocheta non esse solutum, quia illa potentiam necessariam non haberet. Nihilo minus Coreanis septentrionalibus contigit, ut missile longius quam umquam ante mitterent.

## Obama de armis nuclearibus

Oratione die Dominico (5.4.) Pragae habita Barack Obama, praesidens Americanorum, censebat maximum periculum orbi terrarum ex armis nuclearibus imminere, quae terroristae alicunde caperent.

Etsi bellum minus probabile esset, periculum ictus nuclearis maius esse quam ante. Technologiam nuclearem furto aut commercio illegali facile in manus terroristarum incidere posse. Civitates Americae Unitas, tenaces propositi, ad mundum armis nuclearibus vacuum contendere. Americanos et sua arma significanter minuere velle et cum Russis consulere, ut idem facerent. Praesidens Obama vult etiam, ut probationes nucleares vetentur et illi puniantur, qui tale interdictum neglexerint.

## Sueti matrimonium homosexualium accipiunt

Parlamentum Suetiae legem sanxit, ex qua sexus in matrimonio iungendo nullius est ponderis.

Lex ducentis sexaginta uno suffragiis contra viginti duo (261-22) confirmata est. Coniuges eiusdem sexus iam ab anno millesimo nongentesimo nonagesimo septimo consuetudinem suam in tabulas referre apud Suetos possunt. Aequum ius matrimonii a Kalendis Mais valebit.